IN DIVINA SCRIPTURA

NON UNUM UBIQUE ESSE SENSUM,

SED PLURES

EODEM IN LOCO SAEPISSIME CONTINERI


ORATIO

HABITA IN SEMINARIO EPISCOP. VICETINO

A SACERDOTE JOANNE FACCI

IN EODEM SEMINARIO SACRAE SCRIPTURAE MAGISTRO

ANNO MDCCCXXXII.



VICETIAE

TYPIS PARONIANIS

1856



ADMODUM REVERENDO PAROCHO

JOANNI FABRIS

VIRO CLARISSIMO

A. M. F. Can. S. P. D.

Fausta qua die ades optatissimus rector hujus paroeciae Divi Stephani, quae pro dignitate loci tuas jure quodam oppericbatur curas virtutesque singulares, in communi totius prope civitatis laetitia gestit animus tua referre praeclare merita dignisque Te laudibus ornare. Verum, cum probe noverim pro modestia, qua maxime polles, id aegre Te laturum, aliud jam Tibi veteris amicitiae atque observantiae meae signum exhibeo; orationem videlicet, quam olim habuit in solemni Seminarii Clerique conventu magister optimus Joannes Facci, (*) quem paucis abhinc annis coeli sedibus receptum mente adhuc suspicimus, prosequimurque amore. Hanc enimvero gratissimam Tibi fore sentio tum ob memoriam ejusdem praeceptoris, cui Tu eras acceptissimus, tum ob utilitatem rei, quae agitur. Fuit enim, ut omnes norunt, vir ille suavi indole, morumque innocentia

plane singulari; * *qui, cum ingenio et eruditione floreret, supra annos quinquaginta Seminario huic nostro strenuam navavit operam in humanis ac potissimum divinis explicandis litteris. Argumentum autem orationis est ejusmodi, quod ad rectam sacrae hermeneuticae regulam spectat, novumque refellendum errorem, qui a Novatorum placitis derivatus ementita rationis specie in scholam illustrem irrepserat. Hanc ergo orationem nunc primum typis editam, tuoque nomine inscriptam habeas, oro, gratulationis loco, quam de Te habere hodie me maxime decet.*

Vicetiae XVI. Kal. Sept. MDCCCLVI.

* Joannes Facci natus in pago montano, vulgo *Tretti*, apud Schledum XVI Kal. Apr. an. MDCCLXXIII, in Seminarium Vicetinum exceptus est an. MDCCLXXXX, ubi studiorum cursu, quem ab Humanitatis primordiis orsus est, strenue confecto, Idib. Apr. an. MDCCLXXXXVIII Grammaticam tradere coepit, deinde per annos IX humaniores litteras, per XL vero annos Sacrae Scripturae interpretandae rationem summa ingenii et doctrinae laude edocuit, XI Kal. Aug. an. MDCCCXLIX vita functus; vir simplex, et rectus, ac timens Deum.

ORATIO

Si doctissimi ac sapientissimi viri, Reverendissimi Patres, Auditores ornatissimi, de quadam critice, non illa veteri, sed nova, praepostera, bonisque artibus ac disciplinis elegantissimis perniciosa, qua nonnulli in praestantissimis veterum scriptorum operibus judicandis explicandisque usi sunt, jure ac merito queruntur; multo magis dolendum est, et acerbius ferendum, eandem quosdam in sacros quoque Libros, in quibus non studia litteratorum hominum, sed Religio Divinissima agitur, contulisse. Nova enim quaedam, et ante hoc tempus apud nos inaudita explicandae Divinae Scriptnrae ratio ab hujusmodi criticis proponitur, qua nos illi a praeceptis institutisque majorum nostrorum avocare conantur, eaque praedicant, quae antiqui Patres ignoraverunt: errare eos, qui plures saepe sensus uno in loco sacrarum litterarum esse arbitrantur; illum sensum, quem alii mysticum, alii alio nomine appellant, nusquam reperiri; divinam Scripturam non aliter, quam humanum eloquium, quod unica verborum sententia ubique concluditur,

tractandam esse. Quae cum saepe legerem, atque etiam aliquando audirem, mirabar primum tam falsam, tam absurdam, tamque a Divinis Scripturis abhorrentem opinionem ab iis, qui illas vel leviter attigissent, probari posse; tum vero non mediocri afficiebar molestia et dolore, quod videbam, quanta inde mala, si ea invalesceret, in nostra haec studia, atque adeo in ipsam Religionem essent profectura. Quare cum ego hodierna die in hanc lucem prodire jubear, de sacris litteris id, quod vellem, disputaturus, quid auribus vestris optatius, Rev. Patres, qui nostra haec studia magnopere fovetis, quid hisce adolescentibus accommodatius, qui in spem Ecclesiae educantur, quid demum hoc amplissimo et sanctissimo loco dignius afferre possum, quam si de ea re, quae mihi a tempore, ab adversariis, ab officio meo data atque oblata est, disserere aggrediar; atque eam partem studiorum nostrorum defendendam suscipiam, quae isto praeclaro adversariorum invento maxime peteretur? Hoc itaque mihi statuo: in Divina Scriptura non unum ubique esse sensum, sed plures eodem in loco saepissime contineri. Atque haec dum aggredior, intelligo equidem qua in re verser, quantum ab adversariis agitata, nec satis prudenter fortasse a me pro mea tenuitate suscepta, in qua cum divina Scriptura penitus evolvenda est, tum totius antiquitatis memoria repetenda, nec mihi suppetant, quae hujusce disceptationis gravitate digna sint; sed vos me, quaeso, Rev. Patres, Auditores ornatissimi, ingressum jam in mare, ut si minus felici, at tuto provehar cursu, vestra humanitate ac benevolentia sustinete.

Hoc tamquam primarium interpretandae Sacrae Scripturae principium habendum est, inquiunt, praeter unum verborum sensum in eadem nullum alium usquam reperiri. De qua tandem Scriptura hoc isti praecipiunt? De ea videlicet, in qua nihil est tam usitatum, nihil tam frequens, quam duplex iisdem in verbis sententia. Qui liber est Veteris praesertim Testamenti, quae pars libri, quae non plures eodem in loco sensus saepenumero complectatur? Atque hujusce rei

testes non privatos homines in medium adducam, qui ingenii sui acie vel acerrima Scripturas inspexerint (Quis enim ex iis *cognovit sensum Domini*, ut certo sciret, quid scriptis mandare voluerit?), sed Apostolos Jesu Christi adducam, quibus ille ipse *sensum aperuit, ut intelligerent Scripturas:* adducam in primis D. Paulum, quem coelesti doctrina, altissimorumque mysteriorum scientia apprime imbutum, tamquam e tertio coelo, quo raptus fuit, et ubi *audivit arcana verba*, ad nos divinitus delatum suspicimus ac veneramur. Ille enim in suis gravissimis et eloquentissimis Epistolis, quas ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, et ad Hebraeos praesertim dedit, multis in medium allatis, explicatisque figuris Veteris Testamenti, cum eum sensum, qui sub littera quasi quodam velamine tectus atque inclusus habebatur, proferre in lucem, atque explicare instituisset, quot nos, et quas res, quam sublimes, quam divinas edocuit!

Atque ut a Tabernaculo exordiar, quod Moyses erexit, atque in duas divisit partes, quarum unam Hebraei *Sanctum*, alteram *Sanctum Sanctorum*, seu *Sanctuarium* dicebant, quid de hoc Tabernaculo S. Paulus? *Exemplar* appellat *Tabernaculi veri, quod fixit Dominus, et non homo*. Duo igitur Tabernacula Apostolus ibidem vidit, quorum primum littera palam ostenditur, alterum sub eadem littera quasi occultatum ipse detexit: illud *exemplar*, hoc *verum* appellat. Quis enim ignorat illud *exemplar*, quae vox Graecam vocem ἀντίτυπον plane exprimit, nihil aliud hoc in loco, atque in aliis plurimis esse, nisi quandam formam rerum futurarum, quas ipsa tacite praemonstrat atque vaticinatur? Quis porro non intelligit, Veritatis verbo, ubi ea cum exemplari conferatur ex more institutoque Divinarum Scripturarum, nihil aliud significari nisi earum rerum eventum, quae aliquo fuerint exemplari vel typo praesignatae? At vero quodnam est illud verum Tabernaculum, quod D. Paulus illo ligneo et umbratili tentorio praemonstratum esse cognovit? Coelum est, inquit, Christiana Ecclesia, verum Dei Tabernaculum, non hominis manu factum, sed Divina mente perfectum. Atque hic quid ego magis miror? scientiam ne Apostoli, qui haec nobis tam abdita tamque densis tenebris offusa detexit, an Moysis, qui eadem

in tam remota antiquitate non modo intellexit, sed etiam in iis, quae faciebat, ita praesignavit et descripsit, ut non magis ille, auctore Deo, Judaici cultus dator fuerit, quam vates Christiani? Testatur enim idem Apostolus, Deum Moysi effigiem quandam et imaginem coelestis Tabernaculi ad intuendum et considerandum obtulisse, quam in aedificando terrestri Tabernaculo sequeretur: *Vide*, inquit; *omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.* Quid quaerimus amplius, ut cuique pateat, huic loco duas sententias esse subjectas, cum ab Apostolo edidicerimus, Tabernaculum illud, quod Judaeorum Religioni pietatique serviebat, formam fuisse Christianae Ecclesiae; ad ejus similitudinem non humano consilio, sed Divino esse aedificatum, ut eandem, tamquam umbra corpus, referret, futuram praecineret, repraesentaret? Num qua pars Tabernaculi fuit, quae mysterio vacaret? Eam ne partem memorem, quae *Sanctum* dicebatur, in qua Sacerdotes cum suo munere fungerentur, *exemplari et umbrae deserviebant Coelestium?* An alteram, quae secretior et augustior erat, in qua Deus super Cherubim sedere quodammodo dicebatur, omnibus, praeter Summum Pontificem semel in anno, interdictam? Qua interdictione Divinus Spiritus significabat, coelum mortalibus clausum esse, neque illud iis victimis, quae tunc offerebantur, posse aperiri. Ea vero Summi Pontificis in sanctissimum locum ingressio eo die, quo peccata totius populi solemnibus sacrificiis expiabantur, quam plena religionis erat, plena mysterii! Ponite vobis ante oculos, Auditores, illum diem festum, quo maximus Pontifex ad Deum intra velum accedebat, totamque illam caeremoniam memoria recolite. Aspicite Pontificem medio in populo circumfuso ad ostium tabernaculi splendidissima et pulcherrima hyacinthina veste deposita, balteo tiaraque mutata, insignibus suae dignitatis abjectis, demittentem se coram Deo, victimasque tam pro suis peccatis, quam pro totius populi rite immolantem. Quid? Num putatis Pontificem, peracto sacrificio, sanctissimum limen intrare posse? Pereundum ei est, si, nulla alia caeremonia adhibita, ingrediatur. Quid ergo ille? sumit sanguinem vituli et hirci, quos immolaverat, eumque secum intra sacrarium ante arcam Dei affert. Eo sanguine placa-

tus Deus suum Pontificem propitio vultu ac benigno respicit. Quid? sanguisne animalis bruti domum Dei aperiet, quam homo, quam Sacerdos, quam Pontifex attingere non audet? Hic sanguis Pontificem Dei in ejus Sacrarium introducet, eumque specie sua muta et sine sensu, ne interficiatur, tuebitur? Deum placabit? propitium reddet? Quae vis mira sanguinis vituli atque hirci? Quis igitur, duce et magistro Apostolo Paulo, has umbras esse et figuras non intelliget? alium in his Pontificem, alium sanguinem, aliud Dei templum quaeri oportere? Quis in illo Pontifice Judaeorum in *Sancta Sanctorum* introeunte, tamquam in pulcherrima quadam imagine adumbratum et descriptum non videat Pontificem illum futurorum bonorum, Jesum Christum Filium Dei, non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introeuntem semel in sancta, cum perfunctus maximo ac nobilissimo salvandorum hominum munere, deleto quod erat contrarium nobis chirographo decreti, sublatoque de medio et cruci affixo, devicto exspoliatoque inferorum principatu, cunctis regionibus orbis terrarum exsultantibus gaudio, in coelum ascendit immensa circumdatus gloria, stipatusque innumera tum hominum ex Satanae captivitate liberatorum, tum Angelorum caterva ad custodes aeternae civitatis triumphali cantico clamantium: *Attollite portas, Principes, vestras, et elevamini portae aeternales*, eamque ille civitatem omnigenis affluentem bonis primus ingressus omnibus patefecit? Jam vero illa solemnis de monte Sinai, quo Deus eo apparatu, quam magnifico tam terribili, sonitus buccinae, tonitruum, fulgurum, caliginis, procellae, in maxima flamma ignis, inspectante universo populo Hebraeo, eaque rerum specie toto corpore perhorrescente, descendit, legis promulgatio nihil ne portendebat? Quid? Foedus cum populo per Moysem initum et victimarum sanguine confirmatum? Quid? vasa ministerii sanguine mundata? Quid? tot illi ritus et caeremoniae ad delenda peccata maculasque culparum abluendas institutae, nihil ne annuntiabant in posterum, cum lex, ut ab Apostolo accepimus, umbram habuerit futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum? Nunquid ego de Moyse ipso dicam duas tabula slapideas digito Dei vivi inscriptas

de monte Sinaí ad populum ferente, cujus toto ex ore tantus splendor lucis emicabat, ut oculi Hebraeorum obruerentur; aut de illo mystico velamine, quod sibi idcirco super os imponebat, quotiescumque ad eos loquebatur? Quid de Patriarchis? Quid de Melchisedech aeterni Sacerdotis personam gerente? Quid singula persequar? Omnia enim, quae Moyses fecit, jussit, memoriae prodidit, in medium afferenda essent, cum omnia populo Hebraeo in figura facta essent, et contigissent. Ille Evangelium lege, Sacerdotium Jesu Christi Aaronis et Melchisedech Sacerdotio, Ecclesiam Synagoga adumbravit.

Quamobrem Christus discipulis suis, atque etiam populo non semel testatus est, Moysem de se scripsisse, compleri omnia debere, quae in Lege de se praedicta fuerant, eaque etiam aliquando explicavit. Quomodo haec Divina testimonia cum Moyse convenire ostendent, qui praeter unum verborum sensum, alium in eo esse sensum negant? Legite libros Moysis, evolvite tot rerum gestarum narrationes, singulas leges, remque publicam universam ac Religionem inspicite; nunquid vobis de Christo, si unus, alter, aut tertius locus excipiatur, nunquid de Ecclesia in iis libris nominatim occurrit? Quae mysteriorum ejus, quae vitae, quae mortis futurae mentio? Attamen Christus omnia, quae Moyses de se scripsisset, implenda esse affirmabat. Quid? Moyses in monte illo excelso, ubi Christus divinae suae gloriae ac majestatis specimen praebere electis Apostolis voluit, cur testis cum Elia apparuit, cur de iis, quae in urbe Jerusalem Dei Filius adimpleturus erat, loquebatur, si de iisdem nihil ille fuisset vaticinatus?

Denique cum inter typum et veritatem medium nihil sit, necesse est in Moyse, si typi non sunt illi, veritatem esse. Quid tum inde? Horret animus, Auditores, eaque dicere refugit, quae sunt inde consecutura: illud scilicet pietatis Sacramentum, illud admirabile humani generis per Christum salvati opus, quo Deus perficiendo coelum, terram, mare, omnes gentes commovit, inane prorsus et inutile fuisse. Si enim per legem justitia; *ergo gratis* (ita S. Paulus argumentatur) *ergo*, inquam, *gratis Christus mortuus est*. Sunt igitur in Moyse imagines plurimae rerum futurarum, quae duos sen-

sus amplectuntur. Quid in caeteris Scriptoribus Sacris? Sunt profecto innumerabilia etiam apud reliquos scriptores ea, quibus praeter eam, quae verborum est, alia subjecta est sententia; e quibus pauca, ne sim molestus, proferam.

Ego ero ei in Patrem, et ipse erit mihi in Filium: de Salomone Davidis filio haec Deus dixerat libro secundo historiae Regum. Iisdem verbis S. Paulus Christum Dei Filium vere esse ostendit. Non sunt hi sensus duo inter se distincti ac diversi sub iisdem verbis uno eodemque in loco comprehensi? David Psalmo octavo coelum ac terras contemplatus cum maxima et mirifica Dei opera, tum vero ejusdem in hominem a se conditum clementiam bonitatemque summis laudibus extollit. Quaedam ex hoc cantico Paulus Christo, quaedam ipse Christus sibi tamquam propria attribuit: illic opus mundi creati celebratur, hic a pernicie liberati. Num sensus utroque loco unus atque idem est? Num etiam unus est in iis verbis, quibus Deus apud Malachiam ingratos Hebraeos, acceptique beneficii immemores alloquitur: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*; unde Propheta argumentatur, cur Jacob Esau in terrestri principatu; Paulus vero cur Gentiles Judaeis in Christiana Religione fuerint praelati? Quid illud? *Ex Ægypto vocavi filium meum;* quod de Israele, si litteram species, ex Ægypto per Moysem educto videas ab Osea fuisse prolatum; a Matthaeo vero tamquam vaticinium allatum fuisse in Jesu Christo adimpletum, cum Divinus Infans ex Ægypto in Judaeam fuit a Josepho reportatus. Quid luculentius? Quid fortius, ut uni verbo non unam semper sententiam esse intelligamus?

Age vero, ne semper Prophetas cum Apostolis conferamus, ipsos potius Prophetas inspiciamus, eosque cum semetipsis comparemus. Quis adversariorum rationem in interpretando secutus, satis eos commode explicare poterit? quomodo eos praeposterae, obscurae, confusae orationis, aut etiam mendacii accusatione defendere? Prophetis enim quam saepissime multa simul obversantur ante oculos, diversa inter se, et loco et tempore distincta, praesentia, futura, Christus, Synagoga, Christiana Ecclesia, casus varii Judaici populi, tum Christiani, de quibus saepe una serie verborum

et uno sermonis contextu verba faciunt: de quo populo Hebraeo dicturi, eam formam sermonis aliquando adhibent, quae in eum populum non videtur convenire.

Videtis Isaiam qua dicendi copia, vi, granditate Deum populum suum a Chaldaeorum captivitate jam liberaturum nobis ante oculos objiciat, Persarum Regem Cyrum vocantem nomine suo, apprehendentemque manu, ac ducentem ad victoriam, eique portas aereas ac vectes ferreos confringentem Babylonis. Cumque multa et praeclara de Cyro deque futura Judaeorum libertate propheta pronuntiaverit, quid est, quod ille in media oratione de improviso altius assurgens, quasi majore spiritu incitatus exclamat: *Rorate coeli desuper, et nubes pluant justum?* Quid ais, Isaia? quo divinus te furor rapit? Nonne tu populo Hebraeo, quem jam in illo horrore ac tenebris Chaldaicae servitutis jacentem atque abjectum, tamquam praesentem intueris, ad ejus animos quasi luce futurae libertatis recreandos reficiendosque fausta ac laeta vaticinaris? Quid igitur felicissimo nuntio multa immisces, quae re, quam agis, multo sunt excellentiora, quam quod ea omnem vim verborum tuorum capere possint? Nonne tu majora, quam personam Cyri, quam Babylonicam captivitatem, quam Judaeorum liberationem, animo agitare videris? Qualis vero Judaeorum reditus? Non ille quidem, ut captivorum ex longa gravissimaque servitute in antiquam patriam reditus describitur, sed ut victorum magnificentissimus, singularis inauditusque triumphus, iisque praeterea nobilitatus prodigiis, quorum celebritas praeteritorum memoriam aboleret. Nam quid ego de laudibus dicam, quibus idem populus diuturna captivitate, tamquam in quadam fornace, ab omni iniquitate mundatus extollitur? Quae sapientia in illo? quae sanctitas? quae Religio? Jerusalem vero Civitas Justi, urbs Fidelis appellata est, justitia et aequitate optime constituta, in qua se Deus habitaturum esse, ut in sede optatissima, pollicetur. Haec apud Isaiam. Quid eadem de re caeteri Scriptores Sacri? Esdras et Nehemias historiam Judaeorum reditus memoriae prodiderunt; sed nihil illi quod mirabile, nihil quod supra naturam, nihil quod non humanis auxiliis ac prudentia factum sit, referunt; neque eam, quae praedicta est, san-

ctitatem memorant. Immo vero Esdras populo sacrilega foedera cum nefariis gentibus inita, Aggaeus in restituendo templo negligentiam, Nehemias vero violationem Sabbati, oppressos usuris populares exprobrat. Quis igitur hosce scriptores Isaiae, atque Isaiam sibi convenire ostendere poterit, veritatemque verborum ejus defendere, qui prophetam de Babylonica Judaeorum captivitate, eorumque ex ea per Cyrum liberationem vaticinantem, aliam eodem tempore alius populi captivitatem, aliam liberationem multo majorem praemonstrare ac praecinere voluisse non fateatur? Quid Jeremiam, Ezechielem, Danielem commemorem? quid caeteros? omnibus enim eadem vaticinandi ratio, idem propositum; omnibus de populo Hebraeo verba facientibus Christus et Ecclesia Christiana perpetuo occurrebant. Quid ad haec illi tandem, qui unum in cunctis Prophetarum vaticiniis sensum esse propugnant? agi ne dicent in iis locis, de quibus disputamus, de solis Judaeis? at verba aliquid multo majus saepe significant. An tautum de Christo? at populus Judaeorum ejusque casus sese legenti objiciunt. Quibus se illi difficultatibus implicabunt, e quibus se expedire non poterunt!

Quamquam video, quo confugiant, quaque sint defensione usuri. Ajunt enim alium esse sensum Prophetae, quem *subjectivum*, alium Dei, quem *objectivum* vocant: Prophetam casus populi sui varios, prosperos, adversos secum animo reputare; Deum autem ea, quae in illis adumbrare voluit, mente complecti; atque hoc altero sensu potissimum Divinam Scripturam constare censent. Quid? Nonne et sensu, quem dicunt esse Prophetae, constat? Quamvis enim illud consilium nefarium atque impium, quod Caiphas dedit, ipsius fuerit, non Dei; Dei autem vaticinium, quod ille idem sceleratissimus Pontifex inscius eodem tempore pronuntiavit: tota tamen divina ea Scriptura est a S. Joanne, Deo inspirante, conflata, quae duas sententias diversas, et scelus Pontificis et Dei vaticinium, sub iisdem verbis complexa est. Quid aliud est, quod nos in divinis libris esse defendimus? Quamquam Prophetae, quae populo Judaeorum eventura videbant, ea certe divino lumine vidisse dicendi sunt. Sane Isaias in sum-

ma pace et tranquillitate Reipublicae annos circiter ducentos antequam quidquam accideret adversi, Judaeos Babylonem captivos ducendos esse, et inde in patriam reducendos omnium primus praedixit. Quomodo Isaias et caeteri Prophetae, qui de eadem captivitate saepe locuti sunt, cognoverunt? Nonne revelante Deo, quemadmodum ipso inspirante memoriae posterorum prodiderunt? Quod si Deum in Judaeis e Chaldaeorum captivitate eductis humanum genus e Satanae captivitate in libertatem per Christum vindicatum adumbrasse fatemini; quomodo primam illam liberationem, quae Judaeorum est, solum Prophetam spectasse dicitis, non Deum, qui Prophetae manifestavit? Cumque vaticinium de utraque liberatione scriptis Divino Spiritu afflante mandatum fuerit, num utraque igitur liberatio Dei sensus pariter habendus est? Cur illud, quod in sacris Libris non est, discrimen inducitis, ut aliud sit hominis, aliud Dei? Cur nobis dimidiatam Scripturam, partim divinam, partim humanam, quod nefas est, exhibetis? Haec ne ratio explicandi Prophetarum libros, unde tam grave malum oritur, probari potest?

Atque hi quidem, licet in ea sacri eloquii distributione errent, veritatem tamen rerum, quae in populo Hebraeo factae sunt, fatentur. Quid illi, qui rerum ipsarum veritatem, si minus verbo, at re inficiari videntur? Quomodo enim ea loca, in quibus typi et figurae rerum futurarum sunt, uno sensu constare dicunt? Nonne idcirco, quod ea per translationem verborum esse scripta existimant? Quo illi verbo uno, ut mihi videor vere esse dicturus, omnes casuum plurimorum variorumque eventuum narrationes Veteris Testamenti, veritatemque rerum gestarum sustulerunt. Nam qua illi de causa narrationem Moysis de serpente illo aeneo (hoc enim exempli causa afferunt) quem typum Christi esse fatentur, ut vere est, uno atque unico sensu verborum esse propugnant? quod ea non proprie, sed per verborum translationes fuisse narrata arbitrantur. Tollite ergo de libro (quid enim est impedimento?), tollite, inquam, translata verba et mutuata; eaque rebus, quarum sunt, restituite, tum suis ea omnia vocabulis et propriis induite. Quid legitis in Moyse? quid videtis? Christum videtis in Crucem sublatum in summo illo hor-

rore acerbissimoque cruciatu crudelissimae teterrimaeque mortis: infelicem etiam Adami progeniem videtis peccato perditam media jam in morte ad Servatorem hominum oculos manusque tendentem, vulneraque monstrantem cordis sui, atque hinc eam pristinae vitae, libertati dignitatique restitutam, et majora etiam adeptam, quam quae amiserat. Ubi nunc serpens ille aeneus, quem Dei jussu Moyses erexit? ubi serpentes incensi igne, ultores scelerum divinitus immissi, quorum morsibus plurimi moriebantur? Ubi etiam Hebraei aegri, vulnerati, sed mirifice serpentis aenei aspectu saluti redditi? nusquam sunt: nullum eorum eo loci vestigium apparet. Id fiat, si placet, in Jona, qui e ventre ingentis piscis, ubi fuit tribus diebus ac tribus noctibus, incolumis fuit ejectus in terram: idem in Sara, in Agar, in Melchisedecho, in tabernaculo, in sacrificiis, in caeremoniis. Quid plura? Nam omnia paene, quae in Moyse, plurima quae in Prophetis, caeterisque Scriptoribus occurrunt, eodem modo ablatis verbis, quae mutuata sunt, poterunt proprie explicari. Quid tum, Auditores? Qualem Scripturam habebimus? Nonne mutatis personis et rebus, perturbato eversoque sapientissimo illo, quod in mutua Veteris Novique Testamenti ratione mirifice elucet, Dei consilio, nonne insignes viros populi Hebraei, plurimas res gestas, sacrificia, cultum antiquae legis, ipsumque populum Hebraeum, paene dixerim, requiremus? Ita nimirum se res habet: historia populi Hebraei, tum Reipublicae, tum Religionis, ita in omnibus suis partibus tota secum conjuncta est et colligata, tantaque lux ejus veritatis undique emicat, ut nulla ratione perverti infirmarique possit: tum vero vaticinia, quae multis in rebus ejusdem historiae, tamquam typis et imaginibus, sunt posita, ita divina Apostolorum auctoritate explicata sunt et confirmata, ut nefas sit atque impium de iis dubitare. Alia littera legentibus proprie offert, alia typi sub littera mystice praemonstrant. Qui igitur typos et figuras Veteris Testamenti nihil aliud esse, quam verborum translationes asserunt, quomodo se ab ea accusatione purgabunt, quod rerum, quae secundum litteram proprie referuntur, veritatem non agnoscant?

Quae profecto veritas cum ita in libris Veteris Testa-

menti pateat, ut nemo sanus de ea dubius esse possit; tum vero non minus certum sit multa Apostolos ex iis libris hausisse non eo sensu qui verborum est, sed alio prorsus et diverso ad novum Testamentum transtulisse; videte, Auditores, quid alii, ne eam, quam animo imbibissent de uno Scripturarum sensu, opinionem relinquere cogerentur, videte, inquam, quid excogitaverint: multa Apostolos ex Veteri Testamento per accommodationem protulisse, ac proinde eos non aliena sensa usurpasse, sed sua alienis verbis exposuisse. Proh Deum Immortalem! Quid hoc aliud est, nisi universa Veteris Testamenti vaticinia, quae nos in verissimis factis populi Hebraei contineri defendimus, inficiari et evertere, Apostolorum orationibus nervos incidere, Christianamque Religionem multis praestantibusque nudare praesidiis, quae Apostolorum princeps Petrus miraculis firmiora esse affirmavit? Quae jam vaticinia tueri poterimus? quae contra nefarios impiosque homines pro Religionis defensione proferre, cum ea nobis, tamquam arma de manibus, ita praeclara interpretatio extorqueat? Nam et illa ipsa de Christo luculentissima vaticinia, quae unico verborum sensu sunt, quibus praecipue Apostoli in concionibus usi sunt, in discrimen vocantur. Quanam enim alia de causa Theodorus ille Mopsuestenus a Patribus V. Concilii damnatus; quanam illi, qui a Socino fuere; nisi hac ipsa accommodatione, temerario ausu atque impio dixerunt, illa antiqua vaticinia ad Judaeos de adventu Messiae convincendos non valuisse, atque Apostolos idcirco in miraculis potius Christi, quam in illis vim concionum suarum collocasse?

At vero hoc falsum omnino est, Divinisque Scripturis manifestissime adversatur, in quibus legimus Ecclesiam Christi super fundamentum Prophetarum aedificatam esse. Plurima superius vidimus, quae S. Paulus ex libris Veteris Testamenti attulit, plurima etiam alia sunt ab eodem Apostolo citata, quae non attigimus; num vel unum e tam multis testimonium est, aut Moysis, aut Prophetarum, quorum Apostolus non modo verba sed etiam sententias ad rem suam non transtulerit? Quam multa caeteri Apostoli ex eodem fonte hauserunt? quam multa Christus ut propria sibi vin-

dicavit? Nihil autem Filius Dei, nihil discipuli ejus accommodate, sed ea ut certissima, firmissima, luculentissima de Christo argumenta protulerunt. Aliter enim quae gravitas in verbis illorum, quae vis ad persuadendum, in quibus nihil esset, quod Christum re ipsa spectaret? Imo vero Apostoli ea quae attulerunt, vaticinia vere esse, ejus rei propria, de qua verba facerent, conceptis verbis saepissime declararunt. Quoties enim in Evangelio legimus sic: *Impletum est, quod dictum est per Prophetam: hoc totum factum est, ut adimpleretur Scriptura.* Nam et S. Joannes cum milites Pilati Jesu jam mortuo non fregissent crura, *hoc factum est*, inquit, *ut adimpleretur Scriptura: Os non comminuetis ex eo.* Quod Moyses Hebraeis de agno comedendo tamquam vates praeceperat, hoc Joannes Moysis interpres Christo tamquam proprium attribuit. Exempli causa, Auditores, hoc unum attuli, copiam ipsi cognoscitis reliquorum: Quid autem hoc ad veritatem, quam tuemur, ostendendam manifestius? quid fortius? Luce enim clarius est, et Moysem de agno proprie verba fecisse, et Joannem eadem Moysis verba ad Christum ut verum vaticinium, utque in eo completum retulisse. Quid horum adversarii infirmare poterunt? quo se vertent?

„ Audite novam, pulchram, plenam sapientiae, Apostolorum verba interpretandi rationem. Illud impleri Prophetiam saepe dicitur, inquiunt, de eventu rerum iis similium, quas in Prophetis legimus. Similitudo quidem inter facta Veteris Testamenti et Novi interesset necesse fuit, ut haec ab illis perfecte planeque adumbrarentur. At vero S. Joannes, ut vos dictitatis, cum impletam esse Scripturam affirmavit, nihil aliud voluit, quam veteris facti cum recenti similitudinem declarare? O ineptissimum ridiculumque commentum! Quis enim, non dico Apostolum Jesu Christi, non hominem divino Spiritu afflatum, quis, inquam, cui tantulum esset mentis, in illa morte crudelissima Filii Dei, in illo casu omnium maximo, in mundi universi commotione atque adeo moerore rem memoria dignissimam posteritati proditurus, ossis non infracti animali bruto, in quo nihil fuisset de Christo divinitus adumbratum, ob unam similitudinem mentionem fecisset? Igitur et in latronibus in cruces pariter sublatis, altero

vel ambobus, si Romani milites vidissent jam mortuos, eorumque crura non fregissent, imo in quocumque alio reo, quocumque tempore, si idem ei accidisset, quispiam dicere potuisset, tum Moysis vaticinium in hoc homine completum fuisse. Quid absurdius? Quid a verbi etiam ipsius significatione magis abhorrens? Quando enim Scriptura adimpleri vere dicitur? cum id evenit, quod in eadem Scriptura annuntiabatur futurum. Nec satis est, ut inter veteres casus et recentes similitudo intersit; sed omnino necesse est, ut Deus antiquas res, tamquam typos futurarum designaverit et constituerit. Quae nimirum in longo saepe saeculorum decursu, in tanta rerum humanarum vicissitudine in quandam, ut ita dicam, expectationem erectae perstant, donec id fiat, quod ipsae, auctore Deo, jam futurum praemonstrabant. Non sors igitur hisce rebus, non casus aliquis admiscetur; sed omnia Divina Providentia secundum consilia sapientiae suae disponit, regit, adducit, ut quae in typis Veteris Testamenti adumbrare et praecinere voluerit, temporibus a se praestitutis adimpleat.

Haeccine vos divina consilia, quibus firmissima Christianae Religionis fundamenta sunt posita, nova, falsa, absurda interpretatione vestra pervertitis? Equidem in verbo obscuro interpretando, prudentem etiam hominem aliquando decipi posse non miror, sed vos in tam manifesto errasse demiror. Adeone haec, qua imbuti estis, de sacris Libris opinio animos vestros praeoccupavit, ut quantum illi in discrimen adducantur, non videatis? Et quia hominum sermo non plura una voce comprehendat, inde ne vobis visum est interpretandi formam arripere, eamque Dei eloquio imponere repugnanti? quasi vero ea in hac parte esset ipsi accomodata, minimeque decuerit divinam sapientiam praesentia simulque futura uno verbo complecti? Quid hac argumentatione fallacius? quid perniciosius? cum alii ea decepti divinis Libris veritatem historiae, ut vidimus, alii vaticinia, alii divinitatem partim eripuerint. At qua illi in Scriptura tanta libertate versantur? In ea nimirum, quae juris ipsorum non est, cujus explicandae potestatem non ingenii vis, non adjumenta doctrinae, non veterum linguarum cognitio, licet haec

copiosissima adsint, illis facere ullo modo possunt; quam potestatem cum gravissima Christianae Ecclesiae decreta, tum vero antea ejusdem princeps Apostolus Petrus privato cuique homini denegavit. An ignorant ad unam Ecclesiam id pertinere, ejusque doctrinam, quam etiam doctissimi quique Hebraei hac de re tradiderunt, ab Apostolis acceptam, et constanti perpetuoque sine ulla varietate cursu in omnes aetates propagatam, supremum, necessarium, unice tutum interpretandae Scripturae principium esse? Quae profecto doctrina antiqua, communis, publica, quantum istius privatae opinionis novitati adversetur, quid dicam? Ecce vobis antiqui Patres, Apostolorum aequales ac discipuli, quorum epistolas monumentum veteris doctrinae, tamquam e schola ipsorum Apostolorum profectas suspicimus, quibus etiam Epistola Apostoli Barnabae annumerata est. Ab his novam de Scripturis opinionem improbari, antiquam autem sententiam confirmari videmus, cujus Barnabas multas veteris legis caeremonias, Clemens Romanus funiculum illum coccineum, quem Rabab ad perniciem a se suisque propulsandam appendere jussa est, mystice interpretando luculentissimum testimonium dederunt. His proximus S. Justinus de Jona, Clemens Alexandrinus de Isacco, de Serpente illo aeneo Tertullianus, Origenes de multiplici Scripturae sensu in eandem sententiam secuti sunt. Quos Cyrillus, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, Leo ille Magnus secuti, idem se semper sensisse tot tamque praeclaris operibus declararunt. Nam quid ego Hieronymum doctissimum virum, omniumque interpretum omnium aetatum omnisque memoriae facile principem commemorem, qui hanc ipsam interpretandi normam et verbo et exemplo sancivit? Quid Augustinum, qui eandem, ut ab Apostolis traditam magnopere commendavit? Missos facio caeteros Patres et Doctores, Bernardum, Thomam, Bedam, tum Theologos interpretesque Scripturae sanctitate doctrinaque insignes, multitudine innumerabiles, tum etiam Ecclesiae Concilia, quae idem auctoritate sua omnium gravissima confirmarunt. Quid haec memoria recolenti pulchrius, quid augustius, quam eam in exponendis sacris litteris sententiam sequi, quam tot virorum

gravissimorum exemplo, ampiissimo Ecclesiae Dei judicio, totius antiquitatis monumentis consecratam videat!

Num adversarii tot tamque graves omnium temporum auctoritates, quas nos attulimus, ipsi quoque afferent? aut potius ne hiscere quidem audebunt, ne auctores suae opinionis ac patronos eos nomineut, quos tegere silentio praestat, quam pro defensione in publicam lucem efferre? Neque vero ad minuendam infirmandamque Ss. Patrum auctoritatem id nobis objiciant, eos inter se in verborum sensu, ac multo minus in mystico explicando, non modo non convenire, sed etiam in magna sententiarum varietate ac discrepantia versari; quod ad rem non pertinet. Non enim quaerimus, quomodo eos sensus duos sint Ss. Patres interpretati, sed de iis quid senserint; num ambos simul saepissime inveniri declaraverint. Qua de re nulla inter eos dissensio est, sed summus mirusque consensus; et si quis forte litteram explicare cum suscepisset, de mystico sensu siluerit, propterea quod in eum ipsa oratio non incidisset, eundem tamen nemo unus inficiatus fuit.

Quae cum ita sint, vos, quaeso, Adolescentes, qui in haec studia ingressi estis, cavete eos, qui ab hac Ss. Patrum doctrina dissentiant, cavete. Vidistis illorum principium, quod ad Sacram Scripturam interpretandam posuerunt, quam falsum, ineptum, ipsique Scripturae contrarium sit, quas tenebras Prophetis offundat, Legem ab Evangelio magna ex parte divellat, perturbet, deprimat. Contra vero eo principio, quod ab Apostolis et a tota antiquitate accepimus, posito, intelligitis, quanta lux Divinos Libros consideranti undique oboriatur, quanta utriusque Testamenti inter se conjunctio, quae veterum sacrificiorum ac caeremoniarum dignitas, quae firmitas Christianae Religionis, quae Ecclesiae majestas! Quae antiquo populo conjuncta, innumerisque typis et figuris ubique praemonstrata et descripta, immenso suae coelestis originis ac divinitatis splendore effulget. Hac igitur interpretandi norma et regula pergite sacris Libris, ut facitis, operam vestram studiumque navare, Ecclesiae auctoritatem secuti, quae tantum sibi a vobis utilitatis pollicetur, quantum vos sana sapientique horum Librorum tractatione profeceritis.